

*Nouvelle Revue Theologique Tom. 11, pag. 483. n. 16:* proferunt, scilicet: «Auctores constitutioni S. Pii V » insistentes innuunt, actiones hoc » in Capite excommunicatione percussas fieri debere ad finem impediendi quominus causa ad S. Officium deferatur, aut Tribunal sententiam proferat, aut in odium membrorum S. Officii qua tali- » (1)

Qua in re si de personis agitur res est manifesta, cum uterque Pius de Inquisitoribus reduplicative loquantur. Qua de causa qui laederent, aut perterrefacerent Inquisitores aut Ministros Inquisitionis vel odii personalis causa, vel ratione aut suppositione iniuriae acceptae, vel alio quocumque motivo, quod ad Inquisitionem non referatur, praesentis Capituli excommunicationem effugient.

At non ita dicendum est quantum ad Scripturas attinet. Nullimode enim necessarium est ut Scripturae diripiantur aut comburantur, vel ad impediendam introductionem causae apud tribunal Inquisitionis, vel prolationem sententiae, vel in

odium membrorum S. Officii; sed satis est ut Scripturae S. Officii diripiantur et comburantur. Sin minus qui nunc diriperent et comburerent Archiviorum Inquisitoriarum Scripturas, quas centum ab hinc annis confectae sunt, et in quibus nulla comburentium aut diripientium quaestio intercedit, excommunicationem non incurrerent.

Quod esset omnino falsum, cum hi reapse diriperent et comburerent eiusdem S. Tribunalis Scripturas, omnimodis scilicet legem transgrederentur. Qua de causa verba praeclarissimorum Scriptorum de unis personis intelligenda sunt.

Relate ad cooperatores secundarios excommunicantur *praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes*; quae quid sint non semel in primo Commentarii volumine explicuimus. Illud tamen semper lectores advertant, cooperatores intuitu principalium agentium, seu actionis principalis excommunicari; qua de causa si actio principalis posita non fuit, vel complices in illam non influxerint, ut si, ex. gr. etiam sine ipsorum con-

(1) Les auteurs font remarquer, en s'appuyant sur la Bulle de S. Pie V. que les actions frappées d'anathème dans ce paragraphe, doivent être faites dans le but d'empêcher que la cause ne soit déferée au saint office, ou que ce tribunal ne rende sa sentence, ou en haine des membres du Saint Office, comme tels.

Porro pro eiusmodi sententia citant etiam De Varceno. At hic loquitur tantum de personis: Scribit enim loc. cit. 499. « Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores etc. Intellige modo sit iniuria gravis facta in persona... Intellige quoque impediendi causa, quominus ad Sacrum Tribunal causas deferant, vel ad impediendam sententiam, vel in contemptum et odium ipsius S. Tribunalis, quia si ad alium finem vel alia de causa hoc agunt, vel nisi eos cognoscant ut tales... non incurrunt censuram huius articuli. »

silio et favore actio principalis suscepta et ad finem perducta fuisset, vel principales agentes ad eam peragenda dato consilio et favore praestito moti non fuerunt, complices secundarii excommunicationem numquam incurrunt.

Post haec unum expendendum superest. S. Pius V in cit. Constitutione loquens de complicitibus, scientiam requisivit: *sive alias auxilium, consilium, aut favorem in quolibet praedictorum scienter praestiterit.*

E contra Pius Papa IX in allegato capite adverbium *scienter* praetermisit. Hinc Commentatores discrepant. Et quidem De Varceno in complicitibus etiam post Constit. *Apostolicae* ad incurrendam excommunicationem scientiam requirit *loc. cit. pag. 500* scribens: « Su- » biiciuntur huic excommunicati- » oni... 4. Auxilium, consilium, » vel favorem publice vel occulte » in quolibet praedictorum *scienter* » praestantes. » E contra Godchalk, quem sequuntur et. Scriptores *de la*

*Nouvelle Revue theologique Tom. XI, pag. 482* scientiam repudiat, ea prorsus de causa quod Pius Papa IX eiusmodi conditionem praetermisit. Quid ergo?

Ex discussione capite praecedenti peracta patere arbitramur, adverbium *scienter*, seu scientiae conditionem quamvis praetermissam subintelligendam semper esse, cum actio excommunicatione percussa illam necessario expostulat; si vero illam necessario non expostulat standum esse verbis legis, et non esse requirendam. Porro in casu nostro scientia non est necessario coniuncta cum complicitum actione, ut necessario coniunctam probavimus cum mandantibus et cogentibus sepelire notorios haereticos etc. hinc in praesenti capite non punitur scientia et praesumptio, sed unicum factum cooperationis ad actiones principales. Ignorantia igitur culpabilis non excusat complices, sed tantum ignorantia invincibilis circa factum, ius, et poenam.

#### APPENDIX XXXVI.

##### De Excommunicatione lata contra alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito apostolico ad formam *Extravagantis Ambrosiae*.

Bona ecclesiastica sunt quae pertinent ad Ecclesias, beneficia, monasteria, hospitalia, eremitoria, cappellas, dummodo hae auctoritate Episcopi sint fundatae. Horum dominium est penes ecclesias vel loca pia ad quae pertinent; administra-

tio penes eos, quibus a communitate sive libere commissa est, sive ut collato officio adnexa, ut ex. gr. sunt Syndici, Rectores, procuratores etc.; tutela et cura penes Episcopos residet.

Quoniam vero bona Ecclesiae in

sustentationem ministrorum, cultus divini conservationem decoremque, atque pauperum subsidium distribuenda sunt, hinc ab ipso fere Ecclesiae exordio interdictum fuit ne venderentur.

Praestat hac in re canones Apostolicos recitare 37 et 41, ut lectores cognoscant, quid de Ecclesiae bonis primaevio tempore statutum fuerit.

« 37. Omnium rerum ecclesiasticarum curam Episcopus gerito, et eas dispensato, quasi inspectante Deo. Non licitum autem ei esto quidpiam ex iis sibi tanquam proprium assumere, aut cognatis suis elargiri quae Deo dedicatae sunt. Quod si pauperes illi sint, ut pauperibus subministrato; non tamen horum praetextu res Ecclesiae venundato.

« 41. Praecipimus, ut Episcopus res Ecclesiae in potestate habeat. Nam si pretiosae hominum animae fidei eius committendae sunt, multo utique magis oportuerit et de pecuniis mandatum dare, ut illius arbitratu dispensentur, neque non cum timore Dei summaeque sollicitudine per Presbyteros ac Diaconos erogentur in pauperes. Percipiat autem et ipse (si modo indiget) quantum ad necessarios suos et hospitioceptorum fratrum usus opus habet, ne quo modo ipse posteriore loco habeatur quam ceteri. Ordinavit enim lex Dei ut qui altari inserviunt, de altari nutrian-

tur; quando nec milites umquam suis annonis hostibus arma inferant. »

Verum tractu temporis ii qui rerum ecclesiasticarum potestatem habebant, sive nimia erga pauperes charitate ducti, sive parentum amore, sive liberalitate, sive aliis de causis, ecclesiae bona distrahebant; ex quo fiebat ut pauperes inopia tabescerent, aliaque derivarent incommoda.

Hinc Concilium Chartaginense IV anno 398 celebratum, Can. 32 statuit: « Irrita erit donatio Episcoporum, vel venditio, vel commutatio rei ecclesiasticae absque conniventia et subscriptione clericorum. » At quoniam difficillimum fortasse Episcopis quibusdam non erat Clericorum consensum extorquere, atque in detrimentum Ecclesiarum et pauperum bona distrahebantur, Patres Concilii Agathensis an. 506 Canonem VII tulerunt, quo et res minoris pretii distrahere prohibebant, et si necessitas venditionem exigeret, assensus vicinorum Episcoporum esset requirendus: « Casellas vero vel mancipiola Ecclesiae Episcopi, sicut prisca Canonum praecipit auctoritas, vel vasa ministerii quasi commendata, fidei proposito integro Ecclesiae iure possideant; id est, ut neque vendere, neque per quoscumque contractus res, unde pauperes vivunt, alienare praesumant. Quod si necessitas certa compulerit, ut

pro Ecclesia aut necessitate, aut utilitate, vel in usufructu, vel in directa venditione aliquid distrahatur, apud duos vel tres comprovinciales vel vicinos Episcopos, causa qua necesse sit vendi, primitus comprobetur; et habita discussione sacerdotali, eorum subscriptione, quae facta fuerit, venditio roboretur. Aliter facta venditio vel transactio non valebit. »

Verum et eiusmodi disciplina varias subiit mutationes quas persequi non licet, cum ad unius demum Constitutionis normam tum in antiquo tum in novo iure alienatio honorum Ecclesiae redacta fuerit.

Constitutio autem haec a Paulo II lata fuit die 1 Martii 1467, quaeque incipit *Ambitiosae*. Ea porro triplici parte constat, praefatione, prohibitione, et sanctione poenali. In praefatione profitetur Pontifex, se velle occurrere abusibus quibus bona ecclesiastica subiiciebantur. In prohibitione statuit, ne eadem bona distraherentur, transferrentur, hypothecae subicerentur, locarentur ultra triennium, concederentur in feudum vel emphyteusim, praeterquam in casibus ab iure permissis, ac de rebus ac bonis ab antiquo in emphyteusim concedi solitis, et tunc cum Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus et bonis quae servando servari non possunt. In sanctione poenali decrevit 1. ut nulla sit alienatio contra latam constitutionem facta, et bona distracta

ad Ecclesiam, aut ad locum pium revertantur; 2. ut tam alienans quam recipiens sententiam excommunicationis incurrant; 3. ut alienans si episcopali aut abatiali dignitate praefulgeat sit ingressu Ecclesiae penitus interdictus; si inferioris dignitatis ab beneficiis quae possidet, vel ipsorum administratione remotus censeatur et sit.

« Ambitiosae, inquit Paulus II, cupiditati, illorum praecipue qui divinis et humanis affectatis, damnatione postposita, immobilia et pretiosa mobilia Deo dicata, ex quibus Ecclesiae, Monasteria et pia loca reguntur illustranturque, et eorum ministri sibi alimoniam vendicant, profanis usibus applicare, aut cum maximo illorum ac divini cultus detrimento exquisitis mediis usurpare praesumunt, occurrere cupientes.

« §. 1. Omnium rerum ac bonorum ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium, concessionem hypothecam, locationem et conductionem, ultra triennium, nec non infeudationem vel contractum emphyteuticum, praeterquam in casibus a iure permissis, ac de rebus et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, et tunc cum Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus et bonis quae servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentia, hac perpetuo valitura Constitutione fieri prohibemus.

» §. 2. Praedecessorum nostro  
» rum constitutionibus, prohibitio-  
» nibus et decretis aliis super hoc  
» editis, quae tenore praesentium  
» innovamus, in suo nihilominus  
» robore permansuris.

» §. 3. Si quis, contra huius no-  
» strae prohibitionis seriem, de bo-  
» nis et rebus eisdem quicquam  
» alienare praesumpserit, alienatio,  
» hypotheca, concessio, locatio, con-  
» ductio, et infeudatio huiusmodi  
» nullius omnino sit roboris vel  
» momenti, et tam qui alienat,  
» quam is qui alienatas res et bona  
» praedicta receperit, sententiam  
» excommunicationis incurrat; alie-  
» nanti vero bona Ecclesiarum, mo-  
» nasteriorum locorumque piorum  
» quorumlibet, inconsulto Romano  
» Pontifice, aut contra praesentis  
» constitutionis tenorem, si ponti-  
» ficali vel abbatiali praefulgeat di-  
» gnitate, ingressus Ecclesiae sit  
» penitus interdictus, et si per sex  
» menses immediate sequentes, sub  
» interdicto huiusmodi, animo, quod  
» absit, perseveraverit iudurato,  
» lapsis mensibus eisdem, a regi-  
» mine et administratione suae Ec-  
» clesiae vel monasterii cui prae-  
» sidet, in spiritualibus et tempo-  
» ralibus sit eo ipso suspensus;  
» inferiores vero praelati, commen-  
» datarii et alii Ecclesiarum Recto-  
» res, beneficiati, vel administra-  
» tionem quomodolibet obtinentes,  
» prioratibus, praepositis, prae-  
» positibus, dignitatibus, perso-  
» natibus, administrationibus, offi-

» ciis, canonicatibus, praebendis  
» aliisque ecclesiasticis, cum cura  
» et sine, saecularibus et regula-  
» ribus, beneficiis, quorum res et  
» bona alienarunt dumtaxat, ipso  
» facto privati existant; illaque abs-  
» que declaratione aliqua vacare  
» censeantur, possintque per loco-  
» rum ordinarios vel alios, ad quos  
» eorum collatio pertinet, personis  
» idoneis (illis exceptis quae pro-  
» pterea privatae fuerunt) libere  
» de iure conferri, nisi alias di-  
» spositioni Apostolicae Sedis sint  
» specialiter aut generaliter reser-  
» vata; et nihilominus alienatae res  
» et bona huiusmodi ad Ecclesias,  
» Monasteria, et loca pia, ad quae  
» ante alienationem huiusmodi per-  
» tinebant, libere revertantur. »

Porro haec est illa Constitutio  
quam Pius Papa IX in Const. *Apo-  
stolicae* renovavit; caput vero ita  
legimus; *Alienantes et recipere  
praesumentes bona ecclesiastica abs-  
que beneplacito apostolico, ad for-  
mam Extravagantis Ambitosae.* De  
rebus Ecclesiae non alienandis.

Cum Pius Papa IX lato iuri omni-  
no insistat, nulla differentia, quan-  
tum ad substantiam alienationis et  
receptionis attinet, vetus ius inter  
et novum reperitur.

Hinc expendemus 1. quaenam  
actiones huic excommunicationi sub-  
iiciantur. 2. quaenam personae.  
3. quaenam ad incurrendam ex-  
communicationem conditiones re-  
quirantur.

Primum tamen monere lectores

debemus, Constitutionem *Ambitio-  
sae* non fuisse receptam, ni iuri-  
dice, certe de facto, neque in Gal-  
lia, neque in Belgio, neque in Ger-  
mania, eique per contrariam con-  
suetudinem fuisse derogatum. Hoc  
alios inter diserte asserunt Rebuf-  
fus *Compendium alienationis rerum  
eccles.* Reiffenstuel *Ius Canon. u-  
niv. lib. III. Tit. XIII*, Schmalz-  
grueber *Ius eccl. univ. lib. III*,  
Van. Espen. *Ius Eccles. univ.  
Part. II, Sect. IV, Tit. V, cap. IV.*  
De facto dicimus, et non iuridice.  
Etenim Romanae Congregationes  
de re interrogatae non semel re-  
sponderunt esse Constitutionem *Ambi-  
tiosae* observandam. Reapse men-  
se Novembris an. 1655 Episcopo  
Mediolanensi S. Concilii Congrega-  
tio respondit: « Amplitudini tuae  
» demandandum, prout praecise  
» his demandatur, ut pro tua pie-  
» tate et erga Sedem Apostolicam  
» reverentia, ac pro salute anima-  
» rum, et validitate alienationum,  
» locationum, aliarumve concessio-  
» num, id sedulo in futurum exe-  
» quatur et exequi omnino curet,  
» et in praeteritis consulatur pro-  
» priae conscientiae » (1).

Quod ipsum respondit die 14 Mar-  
tii 1682. Anno vero 1635 die 12 No-  
vembris eandem Congregationem  
respondisse refert cl. Vecchiotti  
*Inst. Can. lib. III, §. 44, Vol. II,*  
*pag. 89.* « S. Congregatio censuit  
» bona Ecclesiarum et piorum lo-

(1) Pallottini. *Collectio omnium conclusionum et resolutionum S. Congr.  
Conc. Trid. V. Alienatio.*

» corum non posse alienari, nec  
» concedi sola auctoritate Archie-  
» piscopi, sed omnino requiri be-  
» neplacitum Apostolicum ad prae-  
» scriptum Constitutionis Paulinae,  
» non obstante praetenso allegato  
» non usu, seu consuetudine. »

In libro autem Decretorum, 18,  
*pag. 335* haec alia haberi « non  
» usum dictae consuetudinis alle-  
» gabilem non esse, et absque Be-  
» neplacito alienationes fieri non  
» licere. » *Ibid.*

Attamen cum eiusmodi decreta  
posthaberentur, et contraria con-  
suetudo praevaluisset, Commenta-  
tores quaerunt: an etiam post Pii IX  
Constitutionem consuetudo illa at-  
tendenda sit, ita ut et nunc illis  
in locis in quibus Const. *Ambitio-  
sae* vel non recepta, vel per con-  
trariam consuetudinem abrogata  
fuit, bona ecclesiastica sine bene-  
placito Apostolico vendi possint.

Et quidem Gabriel de Varceno  
affirmativam sententiam defendit  
scribens *Compend. Theol. Mor.*  
tom. II, pag. 504.

« Haec Extravagans *Ambitosae*  
» in multis locis non est usu re-  
» cepta, saltem in toto rigore, ac  
» praesertim quoad poenas et lo-  
» cationem ultra triennium... Qua-  
» re fieri potest ut sit recepta quoad  
» obligationem non vero quoad poe-  
» nas; quoad nullitatem alienatio-  
» nis factae sine solemnitate, non  
» vero quoad privationem beneficii

» et censuram; adeoque attendenda  
» est locorum consuetudo, illique  
» standum est. »

Verum quidquid de antiquo iure censendum sit, certum esse putamus, post Constitutionem *Apostolicæ Sedis* nullam valere consuetudinem aut exceptionem contra Constitutionem *Ambitosæ*.

Revera 1. Pius Papa IX Constitutionem omnino generalem promulgavit quoslibet in quibuscumque locis degentes obstringentem; at in ea edixit excommunicatione plecti alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica sine beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis *Ambitosæ*. Ergo uni textui institit, atque latae legi, nil de cetero curans. Si enim consuetudines contrarias admisisset, iam falsum esset et latam a se constitutionem universalem esse, et caput nostrum intelligendum esse ad formam Extravagantis *Ambitosæ*, cum in Belgio, Gallia, Germania, aliisque locis recepta non fuerit, ideoque pro illis locis lex a se lata non esset intelligenda ad formam prædictæ Extravagantis.

2. Ex allegatis decretis patet, Romanas Congregationes consuetudines illas semper improbasse, nullasque habuisse factas alienationes. Supponendus igitur non est legislator consueto iuri derogasse, et de derogatione non monuisse subditos.

3. Idque eo magis tenendum est, quia in nostra Constitutione cum

exceptiones permisit, diserte expresserit; ut tit. 1, cap. VII, quo excommunicavit Cogentes.... iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones: tit. II, cap. II violentas manus etc., quo dixit: *exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut Episcopus vel alius absolvat*; tit. IV, concl., qua excommunicat omnes quos Tridentinum excommunicavit: attamen *excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV etc.* Qua igitur de causa hoc in Capite exceptionem non innuit?

4. Cum in præsentis Constitutione alia iura allegavit, illis omnino institit, atque Commentatores omnes piaculum putant ab illis recedere. Exempla sunt *tit. II, art. I, VI, XI, XIII, tit. IV, art. IV*. At in interpretatione eadem regula tenenda est.

5. In relatione Pianæ Constitutionis ad ius antiquum nulla datur ab ea recedendi ratio, cum in prologo declaraverit legislator « easdem (censuras) non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac nostra Constitutione conveniunt, verum ex hac ipsa Constitutione nostra, non secus ac si primum editæ ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere. »

Cum igitur Pius Papa IX prohiberit alienationem et receptionem bonorum ecclesiasticorum absque

benepacito apostolico ad formam Extravagantis *Ambitosæ*, hoc ipso in irritum misisse dicendus est quoslibet contrarias consuetudines, ne secus constitutio a se lata ab illa esset Extravaganti difformis.

6. Idque eo magis quod disertis verbis abrogaverit quoslibet contrarias consuetudines quæ Constitutioni a se latae adversarentur: « Irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam, quavis auctoritate, etiam prætextu cuiuslibet privilegii, aut consuetudinis inductæ vel inducendæ, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque. » Abrogasse igitur dicendus est Pius IX consuetudines contrarias Extravaganti *Ambitosæ*, ut Caput a se latum esset illi conforme.

7. Congregationi S. Officii ab quodam Episcopo sequens dubium propositum fuit: III. Tandem excommunicationi subiacere declarantur « alienantes et accipere præsumentes bona ecclesiastica absque beneplacito apostolico ad formam Extravagantis *Ambitosæ* de reb. Eccl. non alienandis. Ex infau- stis vero casibus, quibus ab initio huius sæculi bona ecclesia-

stica affligebantur, aliasque ob causas subortæ sunt, vel prætenduntur consuetudines sacro iuri contrariæ, quæ nonnumquam privilegiis sat vetustis firmari videntur. Circa hæc sequentia dubia proferre liceat. »

1. An ipsa lex Beneplaciti Apostolici per Constitutionem sæpe memoratam, licet hæc ad limitandas latae sententiæ censuras potissimum spectarit, quasi de novo promulgata est, ita ut sua vi generaliter omnes liget, atque etiam ligaret, si Constitutio illa *Ambitosæ*, quam caeteroquin ratam firmamque declarat, vel alia similis non præcessisset? Et si affirmative.

2. An vi clausulæ derogatoriæ in fine novæ Constitutionis appositæ, revocata censerentur debeant privilegia antiqua, ab ipsa Apostolica Sede rite obtenta, alienandi scilicet absque beneplacito Apostolico etc?

3. An derogatio hæc extendi etiam debeat ad consuetudines particulares legi de beneplacito Apostolico latae contrarias quamvis immemorabiles?

Porro S. Congregatio S. S. Inquisitionis, Feria IV, die 22 Decembris 1880 ad proposita dubia respondit.

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Quatenus privilegia de quibus agitur generalia sint, affirmative; quatenus sint specialia et personalia negative.

Ad 3. Affirmative.

At consuetudines inductae contra Extravagantem *Ambitiosae* erant generales. Ergo etiam iuxta allatam Supremae Inquisitionis declarationem per Constitutionem *Apostolicae Sedis* abrogatae censendae sunt.

Post haec inutile arbitramur commentatorum sententias referre; quamvis enim pauci contrariam sententiam proposuerint, alii nostram ex animo defendunt. Nonnullas citabimus.

Commentator Patavinus p. 428; « Novae Constitutionis articulus, inquit, hanc ipsam excommunicationem renovat et confirmat; adeo ut nihil omnino sit antiquae censurae addendum aut demendum. » Modo enim alienantes et recipientes bona ecclesiastica excommunicatione plectuntur ad formam, hoc est, secundum tenorem Extravagantis *Ambitiosae*, sicuti expresse enunciat Articulus, quem modo explicamus. »

Commentator Reatinus n. 164, *Edit.* 3. « Admonendi sumus, Extravagantis *Ambitiosae* pluribus in locis nullatenus receptam fuisse, in aliis ex parte tantum; ubi autem recepta fuit, non semper ex regulis iuris, nec eandem ubique, sed varias pro locis interpretationis recepit. At hodie post Constit. *Apostolicae Sedis* ubique locorum quoad alienationem et excommunicationem servanda est. Quoad interpretationem regulariter non sunt mutandae quae communiter receptae fuerunt. » Et recte.

Demum scriptores de la Nouvelle Revue Theologique *Tom. XI, p. 488.*

« Eiusmodi sententia conformior nobis Pianae Constitutioni videtur. » Quamvis legitima consuetudo alias Constitutioni *Ambitiosae* derogaverit, hanc Pii IX Constitutio in pristinum reducit. »

Sententia nostra igitur tum intrinseca tum extrinseca auctoritate praestat.

Post haec quae proposuimus Capita perpendamus. Et 1. quanam actiones huic excommunicationi subiiciantur.

Duae porro sunt: *alienatio* bonorum ecclesiasticorum, eorumque *praesumptuosa acquisitio seu receptio*. Attamen inficias iret ille qui alienationis nomine illos tantum actus intelligeret quibus dominium ab Ecclesia ad alios vere et proprie transfertur, quomodo contingit in venditione et emptione; eiusmodi enim alienatio omnes actus illos comprehendit qui in Extravaganti *Ambitiosae* recensentur. Cum enim Pius Papa IX alienationem bonorum ecclesiasticorum ad formam illius Extravagantis prohibuerit, nullum esse dubium poterit quod omnes actiones prohibuerit quae sub alienationis nomine in ea recensentur.

Neque difficultatem ingerit, quod de unis alienationibus Pius PP. IX locutus sit. Etenim et de his locutus est ad formam Extr. *Ambitiosae*; et haec titulum in antiquo iure praeferebat *de rebus Ecclesiae non alienandis*, quem etiam Pius IX

recensuit. Ergo et Pontifex Pius IX verbo *alienare* eundem sensum tribuit. At manifestum est in Extravaganti *Ambitiosae* verbum alienare non solum comprehendisse alienationes proprie dictas, et omnia pacta per quae bonorum ecclesiasticorum dominium transfertur, sed etiam concessionem ex. gr. ad meliorandum fundum cum pacto de solvenda parte aliqua, tertia, quarta, quinta etc. Loco pio; hypothecas speciales quibus bona aliis obligantur, aliisque iura in illa conferuntur; locationes et conductiones ultra triennium; infeudationes, quae ta-

men utpote antiquatae nec sunt a nobis nominandae; demum contractus emphyteuticos, praeterquam in casibus a iure permissis, ac de rebus in emphyteusim dari solitis.

Observamus tamen ex decretis Congregationis Episcoporum et Regularium, sine beneplacito Apostolico neque hos contractus emphyteuticos renovari posse (1).

Haec igitur omnia etiam per Pianam Constitutionem prohibentur.

Hoc tamen in loco discrepant inter se Doctores dum inquirunt: an alienatio bonorum Ecclesiasticorum facta in favorem alius Eccle-

(1) Praestat tamen nonnulla referre quae a cit. S. C. decreto fuere circa concessionem emphyteuticas, quaeque exscribimus ex Collectanea Emi Bizzarri in usum Secretariae S. Congreg. EE. RR. pag. 267. Ianuen. et Parmen. super Contractibus Alienationis. Lettera della S. Congregazione dei Vescovi sopra le Concessioni enfiteutiche all'Arcivescovo di Genova li 12 Febbraro 1597.

Se gli ordina far dichiarazione per decreto particolare nel prossimo Sinodo, ed inculcare in visita, che a nessuno di qualsivoglia stato, o condizione sia lecito locare, investire, o in qualsivoglia altro modo concedere ad altri beni devoluti alle Chiese, se ben soliti concedersi per il passato, se non con le debite formalità, o con quell'aumento e vantaggio d'affitto, canone, e livello maggiore che sia possibile, avuto riguardo allo stato presente, ed a quello che per l'addietro se ne sia cavato, come vuole la ragione: sotto pena della nullità dei contratti; ed altre imposte dai Sacri Canonici e Costituzioni Pontificie, contro quelli che distraono beni di Chiesa, o che li acquistino senza le debite solennità. Anzi che potendosi senza far molto strepito, si deve procurare di recuperare i beni già fatti migliori e devoluti alla chiesa, e poi concessi per l'istesso prezzo di prima, perchè queste convenzioni secondo la Nota sono nulle.

Habetur insuper in Collectanea sequens decretum Congregationis Concilii super bonis Ecclesiarum ad livellum concedendis in Parmen. 7 Octobris 1602.

1. Bona ecclesiastica, quae excedunt valorem annui redditus quinquaginta ducatorum, non possunt dividi, ad hoc ne diminuat valor et reducantur infra quadraginta ducatos, (Ducatus constat 85 solidis) ut res fiat alienabilis.

2. Non possunt bona ecclesiastica huiusmodi alienari, ipsis Rectoribus Ecclesiarum, nec eorum consanguineis, et affinis usque ad quemcumque gradum.

3. Sicut non possunt alienari Parochorum et Rectorum domus, ita prohibetur etiam, ne alienentur praedia vicina et contigua ipsis Ecclesiis.

4. Placet etiam, ut reddatur prohibitio locationis omnium locorum piorum, ultra triennium anticipata solutione.